

*civilis, dabo eum Domino omnibus diebus
vita eius: ergo nequit dici, quod Maria
ex parentum voto fuerit in templo præ-
sentata ad ministerium aliquod in templo
obeundum. III. Post captivitatem Baby-
lonicam alii etiam, qui fuissent sanctitate
præclari, etsi Pontifices non essent, San-
ctum Sanctorum nihilominus ingredie-
bantur: ergo poterat etiam Maria in eo-
dem loco habitare. Probatur antecedens.
Egesippus apud Eusebium lib. 2. histor.
eccles. cap. 22. de Jacobo minore testatur:
*Huic uni licuisse in Sancta Sanctorum ingre-
di. IV. Dei prohibitio ne quis unquam
ingrederetur Sancta Sanctorum, erat
tantum pro eo tempore, quo illic Sum-
mus Pontifex rem sacram faciebat; ritu
autem peracto, cæteris omnibus licebat
illuc introire; & probatur ex Levitici
cap. 16. ubi legitur: Nullus hominum sit
in tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium
ingreditur. V. Si B. Virgo in tanta fuisset
æstimatione apud Sacerdotes, ut soli ipsi
liceret habitare ubi cæteris non licebat
ingredi, profecto Sacerdotes, & Primores
populi hæbraici non objecissent Christo
matris obscuritatem; ut legitur Matthæi
13. de Christo prædicante, dicentibus
Judæis: Unde huic sapientia hæc, & virtutes?
Nonne hic est fabri filius? Nonne Mater ejus
dicitur Maria? Unde ergo huic omnia ista?
VI. Ecclesia non probat B. Virginem post
triennium fuisse in templo præsentatam;
quum enim sub Paulo III. Romano Pon-
tificis oratio recitanda in præsentationis
die, hæc esset: Deus, qui Sanctam tuam
Genitricem, tabernaculum S. Spiritus, post
triennium in templo præsentari voluisti &c.
postmodum sub Sixto V. Romano Ponti-
ficis correctæ oratio fuit, & in eam for-
mam redacta, qua in præsentiarum ab
omnibus recitatur; nimirum: Deus, qui
B. Mariam semper Virginem, Spiritus Sancti
habituaculum, hodierna die in templo præsen-
tari voluisti: præsta, quasumus, ut ejus
intercessione, in templo gloriæ tuæ præsentari
mereamur. Quod si Ecclesia expunxit ver-
ba illa post triennium, signum est, quod non
probat, B. Virginem, quando trimula
erat, seu triennis, fuisse in templo præ-
sentatam. VII. De mulieribus, quæ excu-
bant in ostio tabernaculi Exodi 38. &
Regum 1. cap. 2. dicit Jacobus Bonfrerius
in cap. 38. Exodi: Nota mulieres excuban-
tes ad ostium tabernaculi, dici mulieres de-
votas, quæ frequenter veniebant ad taberna-
culum, Deum adoraturæ, & exoraturæ. Si ergo
veniebant in templum, in æde Domini**

non habitabant: Quod etiam habetur ex
paraphrasi Chaldaica, ut dictum est; immo
fortius colligitur ex lib. 1. Regum cap. 2.
ver. 22., ubi dicitur, quod filii Heli con-
stuprabant mulieres, quæ veniebant ad ado-
randum in porta tabernaculi fæderis: & juxta
arabicam lectionem: *Constuprabant mulie-
res, quæ veniebant adoratum coram Domino
in æde ipsius.* Hæc autem mulieres non
erant Virgines Deo dicatæ, quas nemo
dixit, fuisse a filiis Heli constupratas; sed
erant mulieres, quæ habitabant extra
templum; & proinde dicitur, quod venie-
bant in templum. Quum ergo æque
dicatur, & in loco Exodi, & in loco Re-
gum, quod mulieres veniebant in tem-
plum, eodem modo dicendum est de
utrisque, quod extra templum habitarent,
& in templum adoraturæ, & exoraturæ
adventarent. VIII. Indecens profecto
erat, & modestiæ contrarium, quod in
ædibus templi habitarent mulieres Vir-
gines Deo dicatæ simul cum tot, tantisque
masculis, templi Ministris, qui in iisdem
ædibus habitabant. IX. Quanvis dicatur
de Anna, filia Phanuelis, quod in templo
serviebat die, ac nocte, & de templo non
discedebat, die, ac nocte, obsecrationibus
incumbens; attamen verba illa die ac nocte
non referuntur ad templi frequentatio-
nem, sed ad jejunia, & obsecrationes; quod
pariter dicitur ab Apostolo 1. ad Thimo-
teum cap. 5. *Quæ autem vere Vidua est, in-
stet obsecrationibus, & orationibus die ac no-
cte.* X. Objicit Baronio Serry argumen-
tum, quod propriis ipsius verbis referi-
tus, ut videatur, qua verborum acerbitate
in doctissimum Cardinalem inveni
audeat, & qua argumentorum futilitate
sua commenta propugnet: „ Demus Ba-
„ ronio, quod tam infeliciter demonstrare
„ aggressus est: nihil, scilicet, impedimen-
„ to esse, quominus vera illa esse potuerint
„ Ideo ne vera erunt, ac citra dubium?
„ Equæ vero Dialecticæ leges habent, ut
„ quæ fieri potuisse: nihilque repugnare
„ probata sunt, facta illico colligantur?
„ Maxime cum recipi facta non esse, pro-
„ bent alia longe multa, quæ quia peculiare
„ criterium postulant. „
Respondemus ad I. Erat in templo locus
pro oratione mulierum, & erat in templi
ædibus locus pro habitatione Virginum,
quæ Deo sacræ illic morabantur. Pro lo-
co illo in interiori templo, muro discreto,
quo conveniebant femine ad orandum,
hæc habet Josephus lib. 6. de Bello judai-
co cap. 6.: „ Necessario namque pro-
prios